

Agapitus electus an. CCVI. mortuus CCXXXVII. A
 Marcellinus mortuus CCXXXVIII.
 Agapitus Secundus, qui interfuit Concil. Rom.
 ann. CCCXXXVII.

Severus mortuus CCCXLVIII.
 Agapitus Tertius mortuus CCCXLIX.
 Ita qui scrupulo tenebatur, ne Severos multipli-
 caret, quod qui faceret mendacem dictatorie pro-
 nunciavit, non timuit mendacii accusari, Aga-
 pitus multiplicans contra fidem antiquissimæ tradi-
 tionis Ecclesie Ravennatis, & ejus monumento-
 rum.

VI. Remanet demum, ut Aetorum usque modo
 excussorum suppositionem ex eo etiam ostendam,
 quod nomina quinque Episcoporum ex assertis CXVI.
 in illis recensita dolum prodant. Etenim esto quodd
 honoris causâ seligerentur nominandi celeberrima-
 rum Italiae Ecclesiarum Episcopi, Ravennae vide-
 licet, Aquilejæ, Mediolani, licet id in aliis Ro-
 manis Synodis factum non constet, & cum Epi-
 scopi subscribunt recentioribus seculis, primo ferè
 loco id agat Ravennas, ut alibi videbimus, esto
 quodd Concilio huic Chartbaginensi Rufus inter-
 fuerit; at cur recensetur Lucianus ille Maurianen-
 sis, sive Mauritanensis, cujus sedes, ut inveni-
 retur, vexanda Ecclesiastica Geographia fuerit fru-
 stra, & legendum vel Mariensis, vel Maranensis?
 nec enim adhuc de sede ejus nominis constat, que
 aliis quatuor comparari possit; quamvis hæc de
 S. Johanne Mauriane in Sabaudia intelligi posse
 crederemus. Benedictus præterea Aquilejensi nullo
 alio documento subsistit, quam desumpto ex confi-
 cto Concilio. Ughellus aliud non produxit, nec
 producendum didicit à Dandulo, quem citat, à
 quo se male etiam edoctum ostendit, cum Benedi-
 ctum Episcopum creatum dicit anno CCCXXXII.,
 & rexisse Ecclesiam annis XX., & statim Fortu-
 nianum subiecit anno CCCXLVII. Sardicensi
 Concilio interfuisse. Si Benedictus sedis annos au-
 spiciatus ab anno CCCXXXII. sedit annos XX.,
 consequens est, ut obierit anno saltem CCCLII.,
 anno itaque CCCXLVII. vel non sedebat Fortu-
 nianus, vel duo simul in eadem sede sedebant
 Episcopi. Agapitum sedisse Ravennæ, ut vult
 Conseruator asserti Concilii, res est adeo dubia,
 ut nullo certo argumento firmetur, & fortassis ut
 Episcoporum numerus temporis coæquetur, quod in-
 tercessit inter S. Apollinaris, & S. Severi sedem,
 necesse sit annos Episcopatus Marcellini (quem
 Agnellus, Picturæque Ravennates male à Baronio
 negatum conficiunt) amplioribus mensuris dime-
 tiri, quàm dimensî sint Bollandus, & Socii. Lu-
 cius Maurianensis omnino cum sua sede vel inco-
 gnitus est, vel obscurus, & licet alius sedes satis
 sit celebris, Mediolanum videlicet, Episcopus ta-
 men à tota antiquitate ignoratur.

VII. Papebrochius accuratissimè, ut solet, exa-
 mini subiecit antiquum Episcoporum Mediolanen-
 sium Catalogum, quem cum observationibus do-
 ctissimis tomo primo Maji præfixit, post examen
 successionis Episcoporum Tungrensium. In eo au-
 tem, & quidem in parte priori antiquior series
 Episcoporum ita disponitur pro tempore contro-
 verso.

Maternus ab anno CCLXXXII. ad CCCH.
 Myrocles ad annum CCCXLV.
 Eustorgius ad annum CCCXXXI.
 Protasius ad annum CCCLII.
 Dionysius ad annum CCCLXII. computatis exi-
 lii annis.
 Evidentibus autem rationibus laudatus doctissimus
 Auctor ostendit seriem perturbatam in hunc mo-
 dum restitui debere.
 Myrocles sedit annis XXII.

Maternus sedit annis XII.
 Protasius sedit annis XXII.
 Eustorgius sedit annis XVII.
 Dionysius sedit annis XIV., seu IV. ante exi-
 lium.

Porro, ut vides Lector, nihil territus est Pape-
 brochius Baronii censurâ, qua ad annum laudatum
 CCCXXXVII. ait; miramur profecto hunc ip-
 sum (Julium videlicet) ab eodem Auctore
 (Panvinio) prætermisum nam si alicujus
 Ecclesie antiqui quærantur Episcopi, illi certi-
 ores erunt, quos veterum Conciliorum Acta
 suppeditant. Ita quidem si verè ejus Concilii Acta
 legitima extarent, at secus, cum ea conficta fuisse
 deprehendantur. Novi autem Baronium in eam in-
 clinasse sententiam, ut crederet Julium Mediola-
 nensem Episcopum Maternum cognominatum fuisse,
 & illum ipsum, cujus insigne opus habemus de
 Mysteriis profanarum Religionum sub nomine Ju-
 lii Firmici Materni V. E. At præterquam quod
 id nullo apto teste probatur, ex Opere ipso apparet
 Commentarii Auctorem diversum esse à Materno
 Mediolanensi Episcopo, cui propterea Julii nomen
 alterum affigi nequeat. Etenim deprehendere pote-
 rat, ex ipsis, quæ descripsit, locis ex Opere lau-
 dato, Auctorem anno saltem Sardicensi Concilio
 scripsisse, quo Protasius certissimè sedebat. Refert
 inter cætera ex cap. 29. illa, quibus Auctor Con-
 stantium, & Constantem alloquitur; Hyeme
 (quod nec factum est aliquando, nec fiet) tu-
 mentes, ac sævientes undas calcaitis Oceani maris
 remis vestris. Incogniti jam nobis penè maris
 unda contremuit, & insperatam Imperatoris fa-
 ciem Britannus expavit. His addit ex cap. 30.
 alia; missi sunt superbi sub jugum populi, &
 Persica vota collapsa sunt, nec stare diu contra
 vos potuit malis suis armata crudelitas, Dei
 virtutem utriusque diverso sensistis eventu &c.,
 quæ quidem debuisse referri, ait Baronius, eo quod
 in ipsis victorias memorari dicat, quarum nulla
 mentio apud Scriptores habeatur, quas quidem
 (cum sentiat Opus hujusmodi scriptum sub initium
 Imperii Constantini minoris, & Constantis, quod
 re vera scriptum fuit Constantio, & Constante
 Imperantibus) contigisse arbitratur Constantino
 Patre adhuc vivente, ac in ejus rei argumentum
 Numisma Constantini Junioris victoriam Alama-
 nicam præferens exhibet, quod certè nil habet,
 quod ad Britannos, Persasque referri possit.

VIII. Porro non ad Constantini Junioris victo-
 riam quamlibet alludit Maternus, sed ad Constans
 Britannicam, ipsa rigente hyeme confectam
 anno CCCXLIII., & Persicam Constantii, quam
 alii anno CCCXLVIII. ex Hieronymi, & Idacii
 Chronico, alii CCCXLV. ex Juliani Oratione pri-
 ma ad Constantium, habitam tenent. Prioris duos
 numos exhibet testes Mediobarbus ex Constantino-
 poli Christiana Duchangii, aureum unum, æreum
 alterum. Eorum hic in cujus aversa parte Trive-
 mis cum remigibus in mediis fluctibus, in cujus
 prora victoria dextrâ lauream, sinistra palmam,
 in puppi duo signa militaria, in medio navis Im-
 perator galeatus dexterâ bastam, sinistra clypeum,
 & in mediis fluctibus figura nuda epigraphem habet
 Bononia Oceanus. Ammianum illam eandem
 innuere lib. 27. sentit Pagius in Critica Historico-
 chronologica ad hunc annum, & Duchangius in
 Opere laudato eandem illustrat. Quod spectat ad
 prælium apud Singaram nocturnum, victoriamque
 de Persis reportatam, Julianus loco citato rem-
 pluribus narrat, at cum subsequatur Magnentii
 eadem *ἡτοι μετὰ τῆς πόλεως ἔτος* accidisse, &
 hæc constet referenda ad annum CCCL. signatum
 Cos. Sergio, & Nigriniano ex Idacii Chronico,
 hinc